



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xxi. Augusti. In Festo S. Joannæ Franciscæ Fremiot De
Chantal, Ordinis Sanctimonialium Visitationis Sanctæ
Mariæ Fundatricis**

Paderbornæ, 1770

Lectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62834)

solùm æquo animo tulit, sed in publicum
indultæ veniæ testimonium occisoris fili-
um è Sacro Fonte Suscipere suû victrix
elegit. Modicâ familiâ, tenui victu, at-
que vestitu contenta, pretiosas vestes in
pios usus converfit. Quidquid à dome-
sticis curis supererat temporis, precibus,
piis lectionibus, laborique impendebat.
Nunquam adduci potuit, ut alteras nup-
tias, quamvis utiles, & honorificas ini-
ret. Ne autem à proposito castimoniæ
observandæ imposterum dimoveretur. il-
lius voto innovato, sanctissimum Jesu
Christi nomen candenti ferro pectori in-
sculpsit. Ardentiùs indies charitate fer-
vescens pauperes, derelictos, ægros, te-
rerrimisque morbis infectos ad se addu-
cendos curabat; eosque non hospitio tan-
tùm excipiebat, solabatur, fovebat, ve-
rùm etiam sordidas eorundem vestes de-
purgabat, laceras reficiebat, & mananti-
bus fetido pure ulceribus labia admove-
re non exhorrebat.

Rx. Dilexisti justitiam &c.

Lectio VI.

A Sancto Francisco Salesio, quo spiri-
tûs moderatore usa fuit, divinam
voluntatem edocta, proprium Parentem,
Socerum, Filium denique ipsum, quem
etiam

etiam vocationi obfistentem suâ è Domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invictâ constantiâ deseruit, & Sacri Instituti Visitationis Sanctæ MARIÆ fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrimè custodivit; & adeò paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ verò animi demissionis, & obedientiæ, Virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique Sacro Visitationis Instituto ejus potissimum operâ longè, latèque diffuso, verbo, exemplo, & scriptis etiam divinâ sapientiâ refertis ad pietatem, & charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, & Sacramentis ritè susceptis Molini anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decimâ tertiâ Decembris migravit ad Dominum, ejusque Animam occurrente Sancto Francisco Salesio in Cælos deferri Sanctus Vincentius à Paulo procul distans aspexit. Ejus Corpus postea Annecium translatum fuit; Eamque miraculis ante, & post obitum claram BENE-
DICTUS Decimus Quartus Beatorum,
CLEMENS Decimus Tertius albo Sancto-
rum

rum adjecit. Festum autem ejusdem diem
duodecimo Kalendas Septembris ab Uni-
versâ Ecclesiâ CLEMENS Decimus quar-
tus PONTIFEX Maximus celebrari præcepit.


R. Fallax gratia &c.

*In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gre-
gorii Papæ in Evangelium: Simile est re-
gnum cœlorum thesauro. ut in Comuni
nec Virg. nec Mart.*

*De præcepto in Univ. Eccl. recitand. ab
omnib. Christifidel. tam Secul. quàm Regul.
utriusq. Sexus, qui ad horas Canonic. tenen-
tur, (cum 3. orat. prop. in Mis.) ex Decr.
Urbis & Orbis edito à Clemente PP. XIV.
sub Die 2. Sept. 1769.*

Juxta Exemplar Romanum.

Cum Permissu Superiorum.



Paderbornæ Typis & Sumptibus Wilhelmi
Junffermann, Typog. Aul. 1770.